



Sic eunt hominum Fata,  
MATER post FILIAM moritur,  
& tamen nimis subito moritur:  
Quæ in funere FILIÆ lacrymas non experitur,  
FILIOS ac NEPOTES habet in hanc Pietatem pronos.  
Mori poterat,  
quæ FILIAM expectabat spectandam in Coelis:  
Vivere poterat,  
quæ tot Personis facta erat desiderabilis.  
Cælo videbatur digna,  
quæ animo semper versabatur in cælo:  
Et terra cupiebat immortalem,  
Ne deesset Virtutum cœlestium Exemplar.  
Fortasse Mortem optaverat,  
Quæ mortis nuncios agnoscebat Morbos:  
Fortè nec vitæ abjecerat cupiditatem,  
Quæ Suorum gestiebat spectare progressus.  
Mortua tamen est,  
Quia cælum plura pollicebatur,  
Ac in mundo jam vivebat Virtutum fama,  
Quæ NEPOTIBUS valeret in Exemplum,  
Extra sublimen Senectutis gradum posita  
Laudem vel summæ Ætatis impleverat:  
Animo pia,  
Consilio constans & circumspecta,  
Moribus Modestiam & Gravitatem professa,  
Virginibus Exemplum,  
Matronis documentum,  
Ipsis Viris reliquit miraculum,  
Singulis dolendi argumentum.